



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Hortulus Biblico-Moralis Et Asceticus**

**Pappus von Tratzberg, Franz**

**Ulm, 1725**

Fasciculus LIV. Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61252)

## FASCICULUS LIV.

## Doctrinarum Moralium &amp; Asceticarum.

## Doctrina I.

Desumpta ex cap. 4. & 5. lib. 2. Esdra, in quibus describitur structura muri, Israëlitis unâ manu gladeos tenentibus alterâ adificantibus. Invektiva Nehemia in usurarios: ejus liberalitas &c.

Considera I.

**Q**UOD peccator Christianus, destructum per peccata animæ suæ murum mediante pœnitentiâ erecturus, imitari debeat Judæos, de quibus asserit c.4. *unâ manu faciebant opus, & altera tenebant gladiū &c.* non ergo tantum de peccatis agenda est pœnitentiâ, sed per sedulam sensuū custodiam tanquam per acutum Mortificationis gladium proximæ occasionis juratissimi animæ hostes propulsandæ sunt. Hæc armatura si defuerit, vix benè inceptum destructur ædificium. Maria Magdalena pœnitens non tantum obortis lacrymis sua deflevit peccata, sed & alabastrum unguenti dicitur fregisse, ac Domino litasse: *nec enim sufficit, (ut pulchrè, advertit Escobard. tom. 3. coll. Chr. p. 2. Serm. 4. obser. 7. ab impudica vita abstrahi, si cultus superfluitate & deliciis rursus allicitur ad scandalum.* Petrus non solum amaris fletibus suam abluit perfidiam, sed solidum positurus fundamentum, cui tanquam Petræ totius militantis Ecclesiæ ædificium imponeretur Luca 24. *surgens cucurrit ad monumentum.* in quæ verba ingeniosè asserit Didacus Nyss. Serm. 4. de Dom. Quadrages. §. 2. *Petrus semina non credens -- memor lapsus, in quem à muliere impulsus erat, surgens cucurrit &c.* Quamdiu præfatus Apostolus Actor. 12. versabatur in carcere, licet omnibus vinculis jam esset expeditus, non tamen putabat, securam & certam nactus esse libertatem, æstimans: *se visum videre.* At è carcere eductus, & in patentem positus campum, auditus est dicere: *nunc scio verè &c.* Parè modò Christiane pœnitens tibi prospice: Diabolicum hêrcle phantasma est, si credas: nihil periculi amplius tibi imminere ab hoste peccato, per pœnitentiâ semel expulso, si desit tibi armatura solidæ mortificationis, & fuga malæ occasionis



tionis. Nocet captæ aviculæ vel unô dumtaxat pede teneri. Averfabatur vel maximè peccatum castissimus Joseph, & impudicas feminæ voces surdissimâ auribus excipiebat: nec tamen suæ castimonix fatis consultum credidisset, nisi dimissô in manibus adulteræ palliô celerem arripuisset fugam: in hac illum sequens tu quoque effugies peccatum.

N.359. *Considera 2.* Quàm enorme & crudele crimen sit avaritia: adeò, ut homines exuat naturâ humanâ, mutans in feroces rapacesque beluas, testante id Vate regiô Psal. 103. *Catuli rugientes, ut rapiant &c.* S. Thomas Angel. ait: carnem & sanguinem auferre raptores pauperibus, cum auferant eis bona, quæ illi comparant labore & sudore, ac proprii corporis viriumque consumptione. Ita ille lib.6. c.2. de erudit. Princip. *Quare etiam conqueritur Michæas cap. 7. dicens: qui optimus in eis, est quasi paliurus, spinosus & asper, pungens & vulnerans. Videns ergo Esdras tam enorme & barbarum crimen inter Judæos magnis incrementis nasci, ut quantocius illud suffocaret: Optimates & Magistratus severissimis increpavit verbis, exclamans cap. 5. v. 7. Usurasne singuli à fratibus vestris exigitis? & v. 8. citati cap. Vos igitur venditis fratres vestros? &c. ô utinam! hæc invectiva Esdræ Christianorum quorundam pectora taliter emolliret, qualiter emolliit pectora Judæorum! hi enim tam acri reprehensione conversi, dixere v. 12. cap. citati: Reddemus, & ab eis nihil quæremus. Sicque faciemus, ut loqueris. Christiani contra velut in marmoream mutati statuam surdissimâ aure, & corde penitus obduratô similia admonentium verba excipiunt. Justiniani Imperatoris Amuli, qui teste Evag. lib. 4. c. 24. tam inexplebilî ardebat avaritiâ, ut penè innumeros causâ falsâ fictisque argumentis de crimine convictos, jussit bonis suis spoliari, nil ægrius ferens, quàm admoneri, malè parta suis ut reddat Dominis.*

## Doctrina 2.

*Desumpta ex cap. 6. 7. & 8. lib. 2. Esdræ, in quibus describitur Constantia Nehemie in perficiendo muro. Esdræ: adhortatio ad servandam legem & celebrandum convivium,*

N.360. *Considera 1.* **C**hristianos insigne virtutis ædificium in anima sua erecturos, imitari debere insignem Nehemiæ constantiam,



tiam, quam exercuit cap. 6. nullis adversantibus minis, aut fraudibus hominum ab incepto ædificio deterritus. *Rectè inchoare, & non consummare monstro portentoque est simile: cum enim sic agitur, ait S. Hieronymus, humano capiti cervicem pictor equinam jungit.* Nunquam laudabitur Gubernator, qui etsi furentibus procellis sese strenuè objecerit, navem tamen in portum non deduxit. Quis sanctior Paulo? quis illò fortior? non tamen antea coronam gloriæ promeritum se fatetur, quàm certamen omne consummasset, inquires: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi.* Nunquam ad altum Sanctitatis Fastigium surrexisset Hystericus Princeps, nisi divitiarum omnium jacturam, filiorum orbitatem, corporis morbos & miserias, uxoris & amicorum pessimas linguas infractò animò semper sustulisset. Josepho Patriarchæ nil adèò in votis erat, quàm totum se Deo devovere, & fieri divinum; Verùm tam sublime Propositum non poterat priùs consequi, quàm fratrum suorum lethalem invidiam, Dominæ suæ insidias, carceris squalores & sexcenta alia perrupisset obstacula. Noë totis centum annis, quibus Arcam fabricaverat, varia haud dubiè, & penè innumera est passus incommoda; manum tamen, quam operi semel cepto applicaverat, nec unicò die removit, donec illud ex integro viderit perfectum: atque hinc solus cum familia salutem invenit. Quin imò Ipse æterni Patris filius non ante paternæ dexteræ jussus est assidere, quàm propinatum sibi ab Angelo amarissimæ Passionis calicem ad fundum usque ebibisset auditus testari: *consummatum est.* Vide nunc Christiane Lector, quàm longè absis à solidæ virtutis ædificio, utpote qui tam sæpè à bono opere vix benè cepto retrahis manum, ubi vel leve occurrit obstaculum, aut exigua obvenit adversitas. Si ad virilem constantiam te non commovent illustrium virorum exempla: fœminæ saltem illius, quam Domini tui virgineam Matrem & vocas, & veneraris, te permoveat. Cerne: quomodo illa ad omnia Filii sui tormenta stet perstetque, adèò: ut licèt sol ipse ab immani laniena deterritus oculos clauserit, illa tamen semper apertos teneat. Licèt rumpantur petra, ipsa tamen infracta perduret. Adeoque verissimè de illa dixit S. Bernardus Serm. 21. in Cantic. *Inter adversa & prospera mutabilium temporum quandam æternitatis imaginem: utique hanc inviolabilem & inconcussam animi æqualitatem benedicens Dominum in omni tempore, in motu immota manet.*

Considera 2. Etsi rariùs contingat, sine omni peccato lauta celebrari



brari convivia : tamen actus ex se laudabilis , & non nisi ex accidenti reddatur vitiosus ; aliàs Deus nunquam præcepisset Populo cap. 8. Celebrare convivia, *comedendò pingua , bibendò mulsum.* Sacræ paginæ etiam laudibûs efferunt Tobiam , de quo asserunt : quòd Festis solemnioribûs adornârit epulas , vicinòs cognatosque invitans. Licet Judith jejunio esset addictissima , diebûs tamen festivis corpus animumque recreabat convivii apparatu. Et quis nescit sumptuosas illas Abrahami epulas , in die ablactationis Isaac institutas ? quis non laudat splendidum illud convivium , quod Pater prodigi filii eò celebrari voluit tempore , quò domum rediit miserandus ille porcorum conviva ? Christus ipse parentis illius nomine testatur Luca 15. *Epulari autem & gaudere oportebat, quia hic filius meus mortuus erat, & revixit.* Est inter Reges vix reperire unum , cui tam insigne Præconium posuit S. Scriptura ut Josiæ, dum Eccles. 45. de eo dicitur : *Memoria Josiæ in compositionem odoris facta opus pigmentarii, in omni ore quasi mel dulcorabitur ejus memoria, & ut Musica in convivio vini.* Et tamen eadem Scripturâ teste constat : illum Regem instruxisse epulas , comedisse, & bibisse. Damnatur ergo tantummodo excessus, qui solet vitiare convivia, dum vel lautè nimis adornantur, vel in iis temperantiæ limites exceduntur. Quare audiamus Chrysostomum tom. 1. in Genes. Homil. 2. præscribentem : quomodo inter epulas se gerat Christianus, ut nutriendò carnem, non maculet mentem ; ait ille : *epulis vestris interfit Christus, in facie prandeatur auctoritas, honestate convivii natura ipsa, qua producit, honoretur. Latitia mensa vestra pertingat ad pauperes Christi. Familia vestra Innocentia tripudiet disciplinâ. Absit ebrietas, luctus abscedat, sugetur effusio. Saltatricum pestis, lenocinia Cantorum, somenta voluptatis, ventris onera, naufragium virtutis à convivio abscindatur.*

### Doctrina 3.

*Desumpta ex residuis capitibus lib. 2. Esdra, in quibus describitur Numerus beneficiorum, à Deo Israëlitis collatorum, sed eorum subsecuta ingratitude. Sabbathi & Festorum observandus Cultus &c.*

N, 362. Considera 1. **L**ongum Catalogum beneficiorum, quæ acceperant Judæi à Deo teste cap. 25. dum illud ait : *possederunt domos plenas cunctis bonis, vineas & oliveta, & ligna pomifera multa, & comederunt,*



runt, & saturati sunt, & impinguati, & abundaverunt in deliciis in bonitate magna. Verum quid tandem boni evenit ex tanta bonorum copia? quomodo iisdem ad munifici Datoris gloriam usi sunt? en! mox respondet S. Textus: *Provocaverunt Deum ad iracundiam, & recesserunt à te, & projecerunt legem post terga sua.* Ita proh dolor! contingere solet in hoc mundo, ut bonorum temporalium abundantia plerumque cum divinarum legum transgressione jungatur: hinc conversio S. Matthæi Apostoli eò tempore facta, quò permagnis mundi favoribus fruebatur, meritò magnum divinæ Omnipotentis Bonitatisque prodigium dicitur à S. Petro Dam. Sermon. 51. Ecclesiasticus etiam beatificat hominem, qui terrenis refertus bonis, inordinatò tamen eorum appetitu affectuque non abripitur: asserit ergo cap. 31. *Beatus vir, qui inventus est sine macula, & qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia & thesauris &c.* S. Bernardus æstimat hominem, qui ancillantem fortunam sentiens innocentiam ad tumultum deferat illæsam, Martyrii meritum consequi: ait namque in Sermon. quodam: *Non quòd Martyrium gravius est, quàm inter epulas esurire? inter vestes multas & pretiosas algere? paupertate premi inter divitias, quas offert mundus, quas ostendit mundus, quas desiderat noster appetitus?* Non miremur; quòd Deus Populo suo dederit leges in deserto; nullus enim locus ad earundem observantiam videbatur aptior, quàm qui rerum omnium indigentiam laborabat. Atque hinc etiam facile colligimus; cur Moyses Tabulas legis projecerit de manu sua eo in loco, in quo vidit, Populum deliciis & aliarum rerum abundantiam frui. Igitur ò Christiane! si animus tibi est, serviendi Deo, & hac servitute consequi æternum in Cælo Dominium, exclama cum Salomone ore & corde Proverb. 30. *Divitias ne dederis mihi. Tribue tantum victui meo necessaria: ne forte satiatas illicitar ad negandum, & dicam: quis est Dominus?*

Considera 2. Frequentiorem illam mentionem, quæ in residuis N. 463. hujus libri capitibus fit de debito Sabbathi & Fæstorum Cultu: nam capite 10. unanimi votò verbòque concluditur, nullas merces die Fæstò accipere venales à Populo terræ, dum asserit S. Textus v. 31. *Populisque terra, qui important venalia, & omnia ad usum per diem Sabbathi, ut vendant, non accipiemus ab eis in Sabbatho & in die sanctificato, cap. vero 12. & v. 42. dicitur: immolaverunt in die illa victimas magnas &c. & custodierunt observationem Dei sui, & observationem expiationis v. 44.* Verum enim verò quàm parvò tempore stetit tam exactus Sabbathi Fæstorumque Cultus;



Cultus; dum cap. 13. testatur Esdras: *Vidi in Juda calcantes torcularia in Sabbatho, portantes acervos, & onerantes super asinos vinum & uvas & ficus & omne onus, & inferentes in Jerusalem, & objurgavi optimates Juda, & dixi eis: quæ est hæc res mala, quam vos facitis, & profanatis diem Festum? ò utinam tales querelas solus Esdra effudisset contra Judæos! utinam non Christus Ipse pares nostris temporibus cogereffundere contra Christianos? dum Festis diebus videt sæpius locò precum pretia tractari, sub fictò necessitatis titulò vehi merces, celebrari nundinas, institui contractus &c. Quid ergo modernus Festorum profanator mundus aliud audiat, quàm quod audiit Populus Hebræorum v. 18. citati cap. dicente Esdrâ, *Et adduxit Deus noster super nos omne malum, hoc est super civitatem istam. Hoc comprobant diuturna bella, quæis Regiones spoliata, civitates diruta, domus succensa, in captivitatem abducti sunt incolæ. Singulis quasi horis inculcatur nobis: Memento, ut diem Sabbathi sanctifices. Sed ob actus contrarios videmur. Quasi omnem hujus Præcepti memoriam exuisse. Non miremur ergo, si Deus quoque non recordetur lacrymarum & precum nostrarum, quibus petimus: Da pacem Domine in diebus nostris,**



## FASCICULUS LV.

*Doctrinarum Moralium & Asceticarum.*

### Doctrina I.

*Desumpta ex cap. 1. & 2. libri Tobie, in quibus describitur Pietas Senioris Tobie erga Deum & homines, Salmanasar Regis erga eum Clementia. Somnus Tobie & excacatio. Servata erga omnes exacta Justitia &c.*

N.364. *Considera I.* **T**Obiam inter impiissimos versantem Barbaros, summæ Pietatis officia nullatenus deseruisse, consolandò mæstos, alendò esurientes, vestiendò nudos, sepeliendò mortuos & occisos, ut refert primum hujus libelli caput. Sin autem quæras: unde venerit tam constans, & nunquam interrupta viri